

quempiam locum , sed honorificam sedem in regione illa , ubi eum Justis servabatur Abraham , pater omniupr̄ c̄dēntium . Nempe ei p̄oximus sedebat Lazarus , apud illicet supra complures alios honoratus . Et laudanda sane , immo ceteris pr̄ferenda interpretatio . Nam & Joh. i. 18. dicitur *Unigenitus Filius , qui est in sinu Patris : & xiii. 23. Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu Iesu , quem diligebat Iesus* . Quæ in eum finem commemoro , ut si quem ex antiquis offendimus , qui post Domini Ascensionem in Cœlum scribant , Justorum Animas in Sinum Abrahæ deferri , nil mireris . Per ea verba Cœlestis quoque Beatitudo delineatur , in quam translatus est Abraham a victore mortis Christo . Ideo Matth. viii. 11. dicitur : *Multii ab Oriente & Occidente venient , & recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in Regno Cœlorum* : idest , uti Grotius interpretatur , gaudia post hanc vitam , more tunc recepto , sub Convivii specie describens . Proinde Chrysost. Hom. xxvii. in Matth. hæc de Domino nostro habet : *Cœlestē Regnum non suo nomine , sed Sinum Abrahæ appellavit* . Sunt & alia in hanc rem veterum loca , quæ infra commemorabo .

Nunc nobis animadvertisendum . Divitem in tormentis fuisse , atque in Inferno conclusum : nam verba ista in antiquis Codicibus conjunguntur cum elevans oculos . Quæ forent ejusmodi tormenta , ille ipse prodit inquiens : *qua crucior in hac flamma* . Neque Corpus , sed Animam durtaxat ibi excruciatam fuisse , certo agnoscimus , quum Diviti quinque fratres essent , adhuc in terra viventes ; is autem optabat , ne & ipsi venirent in hunc locum tormentorum . Ergo nondum facta Resurreccio Corporum . Porro tria hinc hauriuntur , eaque maximi momenti ad controversiam nostram . Primum est , negari amplius non posse , quin Improborum Animæ statim a morte in Inferorum tormenta conjiciantur , ibique excrucientur ante Corporum Resurrectionem . En Divitis Animam ad ea supplicia deducant ; dum adhuc vivi ejus fratres versarentur in Mondo . Jugulant hæc proposita Burneti sententiam , qui & Injustis poenam differt usque ad postremum orbis universi Judicium , eumque Hæreticum produnt . Simul etiam ostendunt , quam temere & inceps is tradat , Animas sine Corpore summa Beatitudine frui , aut excruciarri non posse . Secundo , si Animæ peccatorum pondere pressæ , atque a corporeis vinculis expeditæ , in tormentorum locum detruduntur , neque expectanda eis est Archangeli tuba et consummatio Sæculi ; par militat ratio , quare neque Justorum Animabus in Christo morientibus Felicitatis æternæ præmium differendum sit in finem usque Mundi . Nam cur par non sit utrobius divine Justitiae mensura ? Tertio , duplex Judicium a Deo faciendum Catholicorum Theologi statuant : alterum privatum et occultum , videlicet mox ut unusquisque hominum e vivis decedit . Tunc enim quilibet æterno Judici operum suorum rationem reddit , ejusque sententiam subire cogitur , ad præmium aut ad poenam transiente Animæ illius . Ad hujus dogmatis veritatem stabiendi confue-